

sacramentum non valet ad remissionem culpe nec poenae pro tunc; sed, recedente fictione, valet ad utrumque, vel ex pactione, vel ex ornato disponente sicut character, etiamsi contritio ponatur pars essentialis penitentiae sacramenti: quia sicut satisfactio, que ordine nature debet sequi confessio-
nem et contritionem, aliquando praeedit confessio-
nem, et sufficit, ita ut non teneatur Deo amplius
satisfacere, (puta quia contritio delevit poenam; in
quo casu, si constaret sacerdoti, nullam peniten-
tiam injungere deberet, sicut nec baptizato; vel si
tantam penitentiam fecit post contritionem, proprio
motu, quod videatur satisfaciens confessori, non
injungat aliam); aliquando autem praeedit contri-
tionem, ut quando facta est in peccato mortali, et
est talis quod aliquid demit de substantia (puta quia
tota penitentia erit in eleemosynis, quas errogavit
in peccato, postea conteritur, gratas habens eleemo-
synas quas fecit peccator), et sufficit, ut quidam
dicunt (2); sic, e converso, licet contritio debeat
praecedere confessionem et absolutionem, si tamen
sequitur, sufficit ad habendum tunc fructum. » —
Hec Petrus.

Mili breviter videtur dicendum, quod, pro tem-
pore absolutionis (6), non sit verum sacramentum
penitentiae, nec integrum, si confitens non habet,
tempore quo confitetur, nec pro tempore quo absolvitur,
ullam displicantiam de peccato; quia, in hoc casu,
non est veri nee integra nec sufficiens materia sacra-
menti, ut prius dictum est. Si autem habet aliquam
displicantiam de peccato, que tamen non attingit
ad rationem contritionis, nec secundum se, nec cum
sacramento, nihilominus est verum sacramentum,
sed non perfectum in se et in suo effectu; quam
tamen ultimam perfectionem dabit sibi contritio,
si postea sequatur. Si autem, nec tempore confessio-
nis, nec tempore absolutionis, affuit attritio, nec
qualisunque displicantia de peccato, tunc nulla
contritio sequens faciet, nec integrabit, nec perfici-
et praecedens sacramentum, quod nullum fuit;
sed aliunde poterit esse salutifera, puta ex desiderio
futuri sacramenti.

Et hinc de questione sufficient. De qua ben-
dictus Deus. Amen.

(2) sufficit, ut qualcum dicunt, — est materia, sed
omninda, nisi sit saltem attritus; vel confessio sine con-
tritione est materia omninda Pr.

(6) absolutionis. — absolutio Pr.

DISTINCTIO XVIII.

QUESTIO I.

UTRUM CONFESSIO NON INTEGRA POSSIT ALIQUID VALERE AD SALUTEM

SINCA decimam octavam distinctionem, et
finem precedentis, queritur: Utrum
confessio non integra possit aliquid valere
ad salutem.

Et arguitur quod sic. Quia sacerdoti non debet
fieri confessio de peccatis, nisi propter absolutio-
nem. Sed quandoque sacerdos qui audit confessio-
nem, potest de aliis peccatis absolvere, et non
de omnibus. Ergo ad minus in tali casu non oportet
quod confessio sit integra.

In oppositum arguitur. Quia hypocrisis est impe-
dimentum penitentiae. Sed dividere confessionem
ad hypocrisim pertinet, ut Augustinus (*De vera et
falsa penitentia* (2), cap. 15) dicit. Ergo confessio
debet esse integra, sic ut omnia peccata uni sacer-
doti quis confiteatur.

In hac questione erunt tres articuli. In primo
ponentur conclusiones. In secundo, objections. In
tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio: Quod confessio debet sic esse
integra, ut homo confiteatur uni omnia pec-
cata que habet in memoria.**

Hanc ponit sanctus Thomas, *4. Sentent.*, dist. 47,
q. 3, art. 4, in solutione secundae questiunculae,
ubi sic dicit: « In medicina corporali oportet quod
medicus non solum unum morbum, contra quem
medicinam dare debet, cognoscat; sed etiam univer-
saliter totam habitudinem ipsius infirmi, eo quod
unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, et
medicina que uni morbo competet, alteri nocu-
mentum prestaret. Et similiter in peccatis: quia
unum aggravatur ex adjunctione alterius; et illud
quod uni peccato est conveniens medicina, alteri
incentivum prestaret, cum quandoque aliquis con-

(2) Hoc opus non est Augustino attribuendum.

trariis peccatis sit infectus, sicut docet Gregorius in *Pastorali* (part. 3, cap. 3). Et ideo de necessitate confessionis est quod homo omnia peccata confiteatur quae habet in memoria; quod, si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio. » — Haec ille.

Item, ibidem (arg. Sed contra), arguit sic : « Confessio est pars pœnitentiae. Sed pœnitentia debet esse integra, ut, 20. dist., Magister dicit. Ergo et confessio. » — Haec ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione : Non minor morbi spiritualis detectio est necessaria in medicina spirituali, quam morbi corporalis in medicina corporali. Sed, in medicina corporali, oportet detegere uni et eidem medico omnem morbum corporalem memorie occurrentem. Ergo consimiliter, in medicina spirituali, oportet detegere uni et eidem medico omnem spiritualem morbum memorie occurrentem.

Secunda conclusio est quod non est necessarium quod confitens semper absolvatur ab omnibus peccatis confessis per unum et eundem ; immo potest per unum absolviri ab aliquibus, et non ab aliis, sed remitti ad alium, qui absolvat a reliquis.

Hanc conclusionem ponit sanctus Thomas, ubi supra (4. *Sentent.*, dist. 17, q. 3, art. 4, q^{ta} 2), in solutione quarti argumenti. Illud enim argumentum est tale : « Sacerdoti non debet fieri confessio de peccatis, nisi propter absolutionem, etc., » ut supra recitatum est, in primo argumento questionis. Et respondet sic : « Dicendum, inquit, quod, etiam si sacerdos non possit absolvere de omnibus, tamen tenetur sibi omnia confiteri, ut quantitatem totius culpe cognoscat, et de illis de quibus non potest absolvere, ad superiorē remittat. » — Haec ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione : Deficiente causa propria alienus effectus, tollitur effectus. Sed causa quare confessio dimidiata non valet, est quia illa dimidiatio tollit notitiam quantitatis peccati, quae necessaria est sacerdoti, et impedit ejus curationem. Dimidiatio vero absolutionis non tollit tamē notitiam, nec impedit curam. Ergo absolutio in casu potest dimidiari; non autem confessio.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

§ 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Argumentum Durandi. — Quantum ad secundum articulum, argendum est contra conclu-

siones. Et quidem, contra primam arguit Durandus (dist. 17, q. 13), non quidem directe contra conclusionem, sed contra ejus probationem, dicens quid ratio adducta pro conclusione non videtur necessario probare quod necessarium sit omnia peccata confiteri uni et eidem, sed solum quod est valde congruum. Quia, secundum eam, non est necessesse omnia peccata simul confiteri, nisi ratione gravitatis quam unum sortitur ex alio, vel ratione medicinae que prodesset contra unum et non contra aliud. Sed propter primum non oportet hoc ponere. Quia circumstantiae aggravantes non sunt de necessitate confessionis, sed solum illae que addunt novam speciem peccati. Sed unum peccatum, si recipiat gravitatem ex alio sibi adjuncto, non tamen recipit novam speciem. Ergo ad confessionem unius peccati non requiritur necessario quod fiat amentio de alio. — Nec propter secundum, scilicet propter medicinam. Quia, vel loquitur de medicina que expellit morbum, vel de illa que preservat a recidivo. Medicina autem que expellit morbum peccati unius, nunquam est contraria medicina alterius peccati; quia eadem est medicina expellens omne peccatum, scilicet gratia; et ita, ratione illius medicinae, non oportet confiteri simul omnia peccata, ne medicina que curat unum peccatum, gravet vel augeat aliud; quia istud nunquam est. Nec ratione medicinae praeservative : quia non est de ratione vere pœnitentiae quod homo ab ea non possit excidere; ergo non est necessarium ad veram pœnitentiam quod exhibantur omnimoda remedia contra recidivum.

Alius est autem modus efficacior, probans eamdem conclusionem. Et est talis : Confessio respondet contritioni, sicut signum signato; quia ea que sunt in voce, nota sunt earum que sunt in anima passionum. Et etiam correspondet per simile : quia per contritionem fit mentalis confessio coram Deo, sicut per confessionem vocalem fit manifestatio peccatorum coram ministro. Sed contrito non potest esse de uno peccato sine alio. Ergo nec confessio. Et sic patet quod confessio debet fieri integre de omnibus peccatis uni et eidem. Quod est intelligendum de peccatis que memoriae occurruunt, prævia (z) discussione conscientie, que debet confessionem precedere. — Haec Durandus.

II. Aliud argumentum. — Secundo potest argui directe contra conclusionem (6). Quia sicut confessio habet determinatum ministrum, ita videtur habere debitam materiam, quae est illud per quod peccata manifestantur. Sed confitens, ut videtur, potest manifestare partem peccatorum per unum signum,

(z) *prævia*. — *prima Pr.*

(6) Hoc secundum argumentum reperitur etiam apud Durandum, eodem loco; assertur tamen ab eo per modum objectionis.

scilicet verbo, et partem per aliud, scilicet scripto. Ergo potest partem peccatorum manifestare unius ministro, et aliam partem alteri.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM.

I. Argumenta Durandi. — Contra secundam conclusionem arguit Durandus (dist. 17, q. 15), dicens quod, licet Ecclesia servet illum modum, scilicet quod inferior audiens totam confessionem absolvit de casibus quibus potest; superior autem ad quem remittitur, audit solum casum pertinente ad se, et de illo absolvit; tamen contra istum modum, et contra conclusionem, sequuntur aliqua inconvenientia. Primum est, quia confessio quae sit inferiori integre de omnibus, et ipse non absolvit de omnibus, non habet aliquam absolutionem sibi correspondentem. Secundum est, quia confessio quae sit superiori de solo casu pertinente ad ipsum, non est integra. Tertium est, quia, cum de (z) illo peccato fuerit confessus inferiori, dubium est quare tenetur iterato alii confiteri: quia quamvis rite confessus possit, si velit, iterato confiteri, quod tamen ad hoc obligetur, non videtur rationabile. Quartum est, quia absolutio quae sit ab inferiore et superiore, non est una, nec de eisdem peccatis, sed de diversis. Quae omnia videntur inconvenientia. — Forte dicitur quod, non obstante quod inferior absolvat de casibus pertinentibus ad ipsum, et superior de casu ad se pertinente, est tamen una absolutio: quia quilibet eorum absolvit ut minister Dei, qui est unus, licet ministri sint plures. — Sed istud non solvit, immo potius confirmat: quia, sicut minister non absolvit nisi vice Dei, sic non sit ei confessio nisi ut ministro Dei; si ergo absolutio quae sit a pluribus ministris, est una, propter unitatem Dei eujus ministri sunt, eodem modo confessio facta pluribus erit una et sufficiens.

II. Argumenta aliquorum. — Secundo (6) potest argui contra utramque simul conclusionem. Quia, sicut homo non tenetur confiteri integre nisi de quibus recolit, sic, cum confessio fiat propter absolutionem, non tenetur confiteri integre nisi ei qui potest ipsum absolvere. Unde videtur sufficere quod peccator consiteatur inferiori de illis de quibus potest eum absolvere, et de reliquis superiori, et per quemlibet absolvatur de casibus ad eum pertinentibus. Absurdum enim videtur quod aliquis teneatur confiteri de aliquo peccato sacerdoti qui non potest eum de illo peccato absolvere. Et sic videtur quod licite potest dimidiari tam confessio quam absolutio.

(z) *de. — in Pr.*

(6) Hoc argumentum Auctor assert, prout est relatum a Durando, dist. 17, q. 15.

Confirmatur (z). Quia non est necesse ut quod semel confessi sumus, iterum confiteamur, ut habetur, *de Pénitentia*, dist. 1, can. *Mensuram* (6). Sed dimidians confessionem curato et Episcopo, rite confitetur, in casu in quo curatus non potest eum absolvere de omnibus, nec Episcopus vult audire nisi de suis; quia nemo tenetur confiteri illi qui non vult vel non potest eum absolvere. Ergo, etc. Et hujus opinionis videtur esse Bernardus de Ganano, in *impugnationibus Henrici*, *Quodlibeto* 1, q. 29.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumentum Durandi. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem, ad ea quae Durandus objicit contra probationem prime conclusionis, respondet Petrus de Palude (dist. 17, q. 5), dicens: « Quod quidam dicunt, quod circumstantiae, si non mutant speciem, non sunt confitenda, etc.; — dicendum quod non ideo circumstantia pertinet ad necessitatem confessionis quia mutant speciem, sed quia est distinctum peccatum per se; unde, si non mutant speciem, et esset distinctum peccatum numero, esset confitenda. Sed ex hoc quod addit novam speciem, sequitur quod differat substantialiter in genere moris, quamvis sit idem numero in genere naturae. Quia ergo unum peccatum, ex hoc quod circumstat aliud, sic illud aggravat, licet citra speciem, quod tamen remanet ab eo distinctum, propter hoc scilicet est confitendum, quia scilicet aggravat, et nihilominus manet distinctum in genere peccati mortalis. Sed propter hoc secundum veritatem non est adhuc satisfactum: quia, licet omne peccatum mortale distinctum, sit distincte confitendum, tamen argumentum querit quare non solum distincte, sed etiam simul de omnibus aliis in eadem confessione sit confitendum; eujus ratio, si dicatur gravitas, improbatum est. Et ideo dicendum est quod Thomas, in hac materia, quae non est demonstrabilis, non intendebat demonstrare, sed probabiliter persuadere. Et ideo ratio probabilis est. — Quod autem dicit de medicina expulsiva, verum est: quia, sive sit contrito, sive gratia, sive confessio, vel absolutio, vel satisfactio, ista per se expellit peccatum;

(z) Haec confirmatio reperitur apud Petrum de Palude, dist. 17, q. 5.

(6) Non similia leguntur in can. *Mensuram*, bene vero, § 4 dict. Grat. post can. 87, dist. 1, *de Pénitentia*.

non autem inducit per se ad aliquod peccatum, nisi forte per accidens, sicut homo de bono opere gloriatur secundum quod hujusmodi. Nec de ista intendit Thomas, sed de præservativa. Quamvis autem non sit de ratione vere pœnitentie non recidivare, tamen de ratione vere pœnitentie est quod homo sic pœnitiat, quod sibi possit dari remedium ne recidivet, et ne habeat tantam occasionem recidivi sicut prius: sicut de ratione vere et perfectæ medicinæ est sic curare morbum, quod non remaneant vestigia; item curare morbum et reducentia morbum. Item, ad hoc quod medicus adhibeat perfectam medicinam, sic sibi morbus debet detegi, quod possit sibi perfectam medicinam adhibere, sive adhibeatur, sive non. Nihilominus appareat quod Thomas non intendebat universaliter demonstrare quare (z) confessio debet esse integra: quia, licet ita sit in quibusdam peccatis contrariis, non tamen omnia sunt contraria; immo aliquando peccator non habet aliquod peccatum contrarium alteri, sed simile; immo raro afficitur homo vitiis contrariis; et sic non deberet esse integra, nisi haberet vicia contraria. Item, peccatum semel factum, ex illo quod postea fit, nee alleviatur nee aggravatur; sed tunc solum unum gravat aliud, quando est circumstantia alterius, licet status peccatorum aggravetur ex multiplicatione peccatorum. » — Hæc Petrus. — Ex quibus videtur velle quod probatio sancti Thomæ non sufficienter demonstret conclusionem.

Mihi tamen videtur quod instantiae illatae contra eam, non multum movent: quia sanctus Thomas non solum fundat se in dicta probatione sine plurimi; immo fulcit eam aliunde in solutionibus argumentorum, præsertim per hoc quod tanta integritas requiritur in confessione, quanta in contritione. Ibidem (4. *Sentent.*, dist. 47, q. 3, art. 4, q^{la} 2) enim arguit sic, in secundo loco: « Confessio ad hoc est necessaria in pœnitentia, ut pena secundum arbitrium sacerdotis peccato taxetur. Sed sufficiens pena potest imponi a diversis sacerdotibus de diversis peccatis. Ergo non oportet uni sacerdoti omnia peccata confiteri. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod pena a diversis sacerdotibus imposta, non esset sufficiens: quia quilibet consideraret tantum unum peccatum per se, et non gravitatem illius quam habet ex adjunctione alterius; et quandoque pena que contra unum peccatum daretur, esset promotiva alterius peccati. Et præterea, sacerdos confessionem audiens, vicem Dei gerit; et ideo debet hoc modo ei fieri confessio, sicut sit Deo in contritione; unde, sicut non esset contrito, nisi quis de omnibus contereretur, ita non esset confessio, nisi quis de omnibus que occurrunt memorie confiteatur. » — Hæc ille.

(x) *universaliter demonstrare quare. — aliter demonstrare quia Pr.*

— Cum ergo dicit Durandus, quod non omnes circumstantiae aggravantes sunt de necessitate confessionis, — verum est, si non addunt novam speciem peccato, vel nisi ipse sint aliud mortale peccatum, sicut bene dicit Petrus. — Cum autem instat Petrus, quia, licet argumentum sancti Thomæ probet quod talis circumstantia, cum sit peccatum mortale, sit confitenda, non tametsi concludit quod omnia simul et uni et eidem sint confitenda; — dicitur quod immo sufficienter hoc concludit: quia, sine integritate confessionis, sacerdos non potest sufficiens remedium nec sufficientem penam impunere peccato, cum ejus gravitatem et quantitatem ignoret; et ulterius, sicut conteritur integraliter coram Deo, ita debet confiteri integraliter coram ejus ministro. — Quod autem dicit Durandus de medicina expulsiva peccati, verum est. Sed contra medicinam præservativam, ut dicit Petrus, et bene, non concludit: pœnitens enim taliter debet peccatum detegere, quod sufficiens satisfactio sibi possit injungi, et conveniens remedium adhiberi; quod non potest fieri per dimidiatam confessionem. — Cum autem instat Petrus contra probationem sancti Thomæ, quia non semper peccator habet peccata vel vicia contraria, et ita non semper deberet integræ confiteri, nisi in casu quo haberet vicia contraria, etc.; — dicendum quod non solum peccatum aggravatur ex adjunctione peccati vel viti contrarii, immo ex peccato disparato, sicut avaritia-ex luxuria vel superbia, ad minus quantum ad hoc quod ex ambobus constituitur majus onus, et major culpa, etc. — Et ex omnium integra confessione magis comprehenditur status peccatorum, et gravitas ejuslibet peccati seorsum, utrum scilicet sit commissum ex passione, vel ignorantia, vel ex contemptu, vel ex consuetudine peccandi: qui enim plura mortalia commisit disparata, et diu in illis fuit, statim comprehenditur non ex passione sed ex malitia peccasse. De hoc, in suo simili, sanctus Thomas, ubi supra (4. *Sentent.*, dist. 47, q. 3, art. 4, q^{la} 2), in solutione primi, sic dicit: « Unum peccatum per se consideratum, non ita demonstrat malam dispositionem peccantis, sicut quando cum pluribus aliis consideratur: quia in unum peccatum aliquis quandoque ex ignorantia vel infirmitate labitur; sed multitudo peccatorum demonstrat malitiam peccantis, vel magnum corruptionem ejusdem. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod illud quod addit Petrus, scilicet quod peccatum semel factum non gravatur ex illo quod fit postea, etc., parum valet. Tum quia, dato quod peccata sequentia non aggravarent precedens peccatum; tamen e converso precedentia aggravant sequentia, prout relinquunt dispositionem ad maiorem contemptum. Tum quia etiam sequentia aggravant quodammodo precedentia, inquantum indisponunt ad pœnitentiam præce-

dentium, et confirmant contemptum precedentem. Tum quia, posito quod non semper sed aliquando unum peccatum aggravetur ex consortio alterius, quocumque modo intelligatur illa aggravatio, tamen, ut in pluribus, confitens est imperitus circa distinctionem talium, et confessor tenetur esse peritus; et quia legislator aspicit illud quod contingit ut in pluribus, ideo praecepit a Deo confessio integre uni fieri, qui de talibus habeat judicare, non solum a consitentibus imperitis, immo a peritis; cujus si fiat oppositum, confessio non valet, nec est verum sacramentum.

De illo autem quod dictum est, scilicet quod praecedentia peccata possunt aggravare sequentia, nemini dubium esse debet, cum peccata venialia quandoque disponant ad mortalia. De hoc sanctus Thomas, *de Malo*, q. 7, art. 3, sic dicit: « Ex multitudine actuum generatur habitus, et crescit aviditas et delectatio in peccato; et in tantum potest crescere, quod facilius inclinatur ad peccandum mortaliter, etc. » Item, 1^a 2^a, q. 88, art. 3, sic dicit: « Actus peccati ad aliquid dupliciter disponit. Uno quidem modo, directe; et sic disponit ad actum similem secundum speciem. Et hoc modo, primo et per se peccatum veniale ex genere non disponit ad mortale in genere, cum differant specie. Sed, per hunc modum, peccatum veniale potest disponere per quamdam consequentiam (z) ad peccatum quod est mortale ex parte agentis. Augmentata enim dispositione vel habitu per actus peccatorum venialium, in tantum potest libido peccandi crescere, quod ille qui peccat, finem suum constitut in peccato veniali: nam unicuique habenti habitum, in quantum hujusmodi, finis est operatio secundum habitum. Et sic multoties peccando venialiter, disponitur ad peccatum mortale. Alio modo actus humanus disponit ad aliquid, removendo prohibens. Et hoc modo peccatum veniale ex genere potest disponere ad peccatum mortale ex genere. Qui enim peccat venialiter ex genere, pretermittit aliquem ordinem; et ex hoc quod consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subjicere, disponitur ad hoc quod etiam voluntatem suam non subjiciat ordini ultimi finis, eliendo illud quod est peccatum mortale ex genere. » — Hec ille. — Item, q. 73, art. 8, sic dicit: « Si nocumentum per se sequitur ex actu peccati, licet non sit intentum, nec prævisum, directe peccatum aggravat; quia quaecumque per se consequuntur ad peccatum, pertinent quodammodo ad ipsam peccati speciem: puta, si quis publice fornicetur, sequitur scandalum plurimorum; quod quamvis ipse non intendat, nec forte prævideat, directe per hoc aggravatur peccatum. » — Hec ille. — Ex quibus patet quod ultimum dictum Petri non est universaliter verum.

(z) consequentiam. — convenientiam Pr.

Ad illud autem quod subdit Durandus, de secundo modo probandi conclusionem, respondet Petrus de Palude (*ibid.*), dicens quod « illa ratio habet instantias. Quia non oportet sic signum respondere signato, quod, si signatum sit integrum, quod signum sit integrum: quia facies integra potest representari per speculum fractum dimidiatum. Ita etiam in sacramentis. Quia, in sacramento Altaris, res contenta et signata, est una et indivisa, et una non separata ab alia, scilicet corpus et sanguis Christi, et in se, et in sacramento; cum tamen sacramentum sit divisum et separatum, id est (z), species ipsæ, quæ sunt materia, et verba utriusque formæ; et forma consecrationis corporis significat divisim corpus et materiam, quæ tamen utrumque continet; et e converso forma et materia sanguinis. Item, satisfactio est signum contritionis, confessionis et absolutionis. Sed satisfactio potest dimidiari: non sic autem quod pœnitens satisfaciat de uno, et (6) pro alio nec nunc nec alias intendat satisfacere; sed sic quod hodie facit pœnitentiam injunctam pro uno, et eras injunctam pro alio; sicut quandoque injungitur ab eodem absolvente pœnitentia distincta pro distinctis peccatis; et quia unus pro alio potest satisfacere, partem pœnitentiae facit per se, aliam per alium; et unam per indulgentias, et aliam per eleemosynas et hujusmodi; et partem hic, et partem in purgatorio. Ergo similiter, si illa ratio valet, potest dimidiari confessio et absolutio: scilicet quod isti confiteatur hodie unum, cum proposito confitendi eras aliud alii; et absolvatur (7) nunc ab isto, et eras ab alio. — Item, minor potest interimi. Quia, si homo conteritur de omnibus in generali, postea vult de singulis in speciali conteri, non oportet quod totum sit in una hora, nec etiam uno die, ex quo' habetur propositum de singulis conteri de uno post aliud. Et videtur quod antequam ad ultimam contritionem de ultimo venerit, ex solo bono proposito Deus eum de omnibus absolvit. Et sic sacerdos, antequam (8) illetotum dixerit, ex quo tamen alias dicere proponit, ut videtur, potest statim absolvere, se Deo conformando. Nam non est dubium quod confessio dimidiari potest eidem, sic tamen quod absolutio non recipiatur quousque totum sit confessus; sicut in illis qui multis diebus generalem confessionem continuant. Sed, quantum ad propositum, verum est quod confessor non potest se conformare Deo: quia, si absolvit a dietis et non scienter retentis, Deus hoc non facit, sed absolvit ab omnibus mortalibus, vel a nullo; si autem absolvit a retentis non oblitis nec dietis, hoc non potest, quia non sunt materia nisi confessa specialiter, et

(a) id est. — et Pr.

(b) non. — Ad. Pr.

(c) absolvatur. — absoli Pr.

(d) antequam. — ante vel postquam Pr.

oblita confessa generaliter. Ideo, etc. — Item, probatio sua circularis est : quia, in quæstione (2) de contritione, probavit de omnibus mortalibus simul debere conteri et sigillatim, quia sic de ipsis est confitendum; et modo, e converso, probat confessionem debere esse integrum per integratatem contritionis; et sic utrobique est petitio principii. — Et ideo potest esse tertia ratio ad eamdem conclusionem, talis : Confessor debet se conformare Deo, quantum potest commode. Deus autem non absolvit nisi ab omnibus. Ergo nec iste debet nisi ab omnibus. Sed non potest nisi a confessis, vel oblitis, quæ habentur pro confessis per generalem confessionem. Ergo omnia debent confiteri. Dico autem *si potest* : quia quando (6) non potest ab omnibus absolvere, tunc non potest se conformare Deo, et excusatur; ut inferior, qui tantum absolvit a casibus suis. Superior vero non potest commode ab omnibus : quia non potest nisi audiat; et non potest audire omnia peccata omnium ad se venientium vel confluentium de tota dicecens forte uno die, vel septimana pœnosa. Gravarentur etiam homines bis omnia dicendo, etc. ». — Hæc Petrus, et bene quoad ea quæ dicit contra Durandum. Sed ratio quam inducit pro conclusione, virtualiter continetur in dictis sancti Thomæ, et cum minori calunnia, ut prius recitatum fuit.

II. Ad aliud argumentum. — Ad secundum principale contra eamdem conclusionem, respondet Durandus (dist. 17, q. 15), dicens quod « non est simile de plurificatione materie, et de plurificatione ministrorum, quibus fit confessio, et a quibus fit absolutio. Quia, sicut per contritionem cordis fit Deo necessario integra confessio, sic confessio oris debet integre fieri alicui ministro. Sed signum per quod confitens manifestat peccata sua confessori, non est tantum unum : quia non est possibile; quidam enim sunt muti, et ideo non possunt per verba confiteri peccata; propter quod, cum Deus nihil impossibile requirat, restat quod tales possunt confiteri per scriptum, signa vel nutus. Materia enim confessionis non est una secundum speciem (ut aqua in baptismo); sed est una unitate analogia quæ est inter signa, sic tamen quod semper principalius assumatur de possibilibus. Cujus ratio est : quia in quibusdam sacramentis, puta in baptismo, confirmatione et ordine, nihil requiritur ex parte recipientis, nisi quod non sit impedimentum; et ideo quidquid extrinsecus apponitur, totum est determinatum in specie una ex ordinatione divina; sed in pœnitentia requiritur per se actus pœnitentis, scilicet quod manifestet peccata sua sacerdoti; et quia Deus non requirit a nobis nisi quod possumus, ideo

sufficit quod peccator manifestet peccata sua sacerdoti per præcipuum signum quod est sibi possibile, quamvis non sit semper unius rationis ». — Hæc Durandus, et bene, et concorditer dictis sancti Thomæ, dist. 17, q. 3, art. 4, q^{ta} 3, in solutione secundi argumenti.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Durandi. — Ad argumenta contra secundam conclusionem, respondebat Petrus de Palude (dist. 17, q. 5). Et primo, ponit quatuor opiniones; secundo, subiungit suam, quinto loco, dicens : « Quintus modus dicendi est. Quia aut omnia sunt venialia; aut omnia sunt mortalia; aut quedam mortalia, et quedam venialia. In primo casu, potest absolutio dimidiari indifferenter a superiori et inferiori : quia horum remissio non habet connexionem, nec quoad contritionem, nec quoad confessionem, nec per consequens quoad absolutionem. Quando autem retenta sunt mortalia, et non retenta venialia, constat per idem, quod superior potest absolvere de mortalibus, sine hoc quod absolvat de venialibus; quia mortale potest remitti, non remisso veniali. E converso autem, remitti non potest veniale sine mortali, sicut nec unum mortale sine alio mortali. Unde tunc est idem quod in secundo casu, quando omnia sunt mortalia. Et quidem Ecclesia Romana sic utitur, quod absolvit a majoribus mortalibus, remittens pro minoribus absolvendum. Et ideo supponendum est quod ita potest fieri. Quo supposito, pari ratione, potest fieri e converso : quia de mortalibus non minus potest remittere minus sine majori, quam e converso. Propter quod, qua ratione potest absolvere superior de retentis, non absolvendo de concessis, eadem ratione, inferior de concessis tantum : quia ex quo iste est absolutus quoad Deum, ut supponitur ex contritione quam ostendit, id quod est ex parte Ecclesie, potest dimidiari in foro pœnitentiali; sicut in foro judiciali potest quis absolviri ab uno judice ab una sententia, et ab alio ab alia. Immo etiam, si non esset contritus, sed attritus, idem est : quia dispositio ad gratiam potest dimidiari. Et sicut in dispositione actuali, quæ est per actum liberi arbitrii, quo oportet in speciali de omnibus conteri, multi actus concurrunt, ex quibus contritio generalis sequens fit dispositio perfecta ad gratiam; sic, ex confessionibus facti diversis, causatur dispositio ornatius perfecta ad gratiam (2). Et sicut quando aliquis inungitur, diverse sunt inunctiones, quarum quilibet habet separatam formam et separatam materiam, et omnes sunt necessariae, et, omnibus

(a) *quæstione. — conclusione Pr.*

(b) *quando. — Om. Pr.*

(a) *a verbis sic ex confessionibus usque ad gratiam, om. Pr.*

perfectis, tunc ex vi sacramenti sequitur effectus, et non ante (et idem esset si casus mortis primi ministri cogeret ministros multiplicari); sic et hic: quia absolutio respectu Ecclesiae potest dimidiari, et dispositio respectu Dei; inde est quod vi clavum; quando completa est ultima absolutio, tunc sequitur effectus, et non ante. Et non est dubium quod superior potest de omnibus absolvere, vel de omnibus absolvendum remittere. Et licet, de potentia absoluta, posset committere majora sine minoribus, non tamen de potentia ordinata: quia, si penitentiarius Episcopi posset solum absolvere de episcopatibus, quicumque iret ad eum, notaret se eo ipso de illis, cum de aliis non posset absolvere; propter quod Simon Legatus revocavit illam clausulam concilii Compendiensis, qua prohibetur praelatis committere fratribus nisi majora crimina. Potest ergo superior absolvere de omnibus, si tamen omnia velit audire; aliter non. Inferior autem non: quia, sicut si absolveret de excommunicatione a superiore retenta, nihil ageret, sic etiam de peccato; quia a non judice suo lata sententia non tenet in eo in quo est non suus judex, licet teneat in aliis (ut si ab ordinario est appellatum in una causa, remanet judex in aliis, non in illa; propter quod sententia sua in illa non tenet); ita est hic. Sed utile per inutile non vitiatur in illis quae recipiunt divisionem. Unde, si absolvit ab omnibus, valet absolutio in casibus suis, nec plus oportet ad eum redire; sed non in aliis. Sed si casus reservatus est majoris excommunicationis, vel minoris, nullo modo potest ante absvolvi quam fuerit remissus absolutus: quia non est capax sacramentorum. Sed, dato quod iste homo, de quo positus est casus, non posset absolves ab inferiore ab omnibus, nec superior vellet de omnibus, teneretur tamen uni dicere omnia: quia, licet inferior tunc non posset absolvere ab omnibus, post remissionem tamen potest ab omnibus absolvere, sive ille superior absolverit, sive non, sive sit ordinarius, sive ejus vicarius; non quod iste possit committere, sed (z) quia talis est intentio retinentium sibi casus, quod, postquam mandatum superioris receperunt, ex tunc nihil retinent; quia ex tunc nolunt istum ad se redire, quem remittunt. Et iterum Decretalis dicit *omnia sacerdoti non sacerdotibus.* » — Haec Petrus, in forma. Et haec est opinio sua propria.

Tunc ad argumenta Durandi in oppositum, dicitur quod ex illo modo dicendi non sequitur aliquid quod sit inconveniens secundum veritatem. Et ideo ad primum inconveniens contra hoc illatum, dicitur quod confessio facta inferiori de omnibus, qui tamen non absolvit de omnibus, habet aliquam absoluti nem sibi correspondentem: quia, post remissionem confitentis a superiori ad inferiorem, inferior absolu-

vit eum de omnibus; vel, si inferior primo absolvit eum de sibi concessis tantum, et postea superior de retentis, vel econtra, non est inconveniens, illud quod est Ecclesiae, dimidiari in foro poenitentiali, sicut dimidiatur in foro judiciali. Nec oportet tali confessioni correspondere aliquam absolutionem adaequatam, sed duas. — Ad secundum inconveniens, dicitur quod confessio facta superiori de solo casu retento, licet non sit integra formaliter, est tamen integra in virtute, pro quanto confitens illum solum casum est paratus onus confiteri, si superior vellet audire omnia, tamen non vult. Rursus, quia illa dimidiata et particularis confessio valet in virtute integræ confessionis prius factæ inferiori. — Ad tertium inconveniens, dicitur, secundum Petrum (ibid.): « Quod nemo cogitur bis idem peccatum confiteri, verum est per se et simpliciter; sed per accidens potest contingere. Nam, si primo confiteretur (z) superiori, non oporteret postea confiteri alii, cum ille de omnibus possit absolvere. Nec videtur quod debeat eum post confessionem remittere non absolutum, sed absolvendum: quia sic cogit eum bis confiteri idem, cum non possit illius peccatum scribere, secundum quosdam, quamvis penitentiarii contrarium faciant; et qui potest statim dare beneficium, non debet differre, nec ad alium mittere. Sed, si est aliquis qui non potest eum absolvere, tunc per accidens est quod teneatur iterum confiteri potenti absolvere, ut absolvatur. » — Hec ille. — Ad quartum inconveniens, dicitur sicut ad primum: quia non est ita inconveniens dimidiari absolutionem, sicut esset inconveniens dimidiari confessionem. Tamen confitens potest aliter absolviri quam per dimidiationem absolutionis, ut dictum est: puta quod superior remittat eum absolvendum ab omnibus per inferiorem.

De responsione vero que recitatur, dicitur quod non valet; licet Petrus eam nitatur colorare cum Bernardo de Gannato. Ideo illam non approbo, sed potius cum Durando ejus impugnationem.

II. Ad argumenta aliquorum. — Ad secundum principale dicitur primo, quod non est simile de peccatis de quibus confitens non recolit, et de peccatis de quibus confessor inferior absolvere non potest, sed solum superior. Tum quia, in primo casu, sicut excusat quoad contritionem coram Deo, ita quoad confessionem coram Dei viceario; secus est in secundo casu. Tum quia, in secundo casu, confitens scienter celat gravitatem peccati sui et sui status; secus in primo casu; ideo in secundo casu esset fictio, non autem in primo. Tum tertio, quia dimidatio confessionis in secundo casu est voluntaria, in primo vero est penitus involuntaria, cum sit per ignorantiam. Et multæ aliae dissimilitudines.

(z) sed. — et Pr.

(x) confiteretur. — confitetur. Pr.

dines possunt assignari. — Dicitur secundo, quod non est inconveniens confiteri omnia ei qui non potest pro tunc de omnibus absolvere, tamen tempore debito poterit de omnibus absolvere, scilicet post remissionem sibi factam per superiorem. Sed, si ille confessor, nec tunc, nec alio tempore, posset de omnibus absolvere, tunc argumentum haberet colorem. Non autem sic est in proposito. Ideo non valet.

Ad confirmationem patet responsio per praedicta. De hoc tamen latius loquitur Petrus de Palude (dist. 17, q. 5), dicens: « Verum est simpliciter et per se quod Ecclesia non potest arctare vel cogere aliquem ad confitendum bis id ipsum: quia non potest mutare sacramenta quoad necessitatem, quod scilicet faciat sacramentum necessitatis in tota Ecclesia, id quod est voluntatis, sicut nec e converso potest facere baptismum et penitentiam, quae sunt necessitatis, esse voluntatis solum; quamvis sit dissimile, quia Papa non potest contra preceptum Dei, sed potest, praeter precepta Dei, facere nova precepta. Dieo autem generaliter: quia, si necessitas Ecclesiae requirat, potest aliquem cogere ad matrimonium, puta filiam regis, aut filium, vel (z) ad ordinem suscipiendum, aut confirmationem; sed in generali statuere quod omnes contraherent et nullus contineret, vel quod omnes susciperent sacros ordines et nullus contraheret, non videtur. Nec obstat quod (z) statuit quod omnes simul in anno communiceant in Paschate: quia illud semel necessarium erat in vita, sicut penitentia; sicut enim dicitur (Luc. 13, v. 5), *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter (z) peribitis*, sic dicitur (Joan. 6, v. 54), *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc. Vel dicendum est quod hoc non est mutare aliquid in sacramento: quia essentia illius non consistit in usu, sicut in aliis. Potest etiam facere quod conférre sacramentum sit in precepto et necessitatis, quod suscipere est voluntatis: quia curatus et Episcopus tenentur ex statuto Ecclesiae, et Christi, dicentis (Joann. 21, v. 17), *Pasce oves meas*, ministrare subditis ecclesiastica sacramenta. Sed si susceptione sacramenti sit ejus essentia, tunc susceptionem necessariam facere voluntariam, vel econtra, esset mutare sacramenti institutionem: quia propter susceptionem est sacramentum, non propter dantem. Licet ergo simpliciter et per se Ecclesia non possit statuere, ut (z) secunda confessio, que de se est voluntaria, sit necessaria; tamen, per accidens, et secundum quid, potest, ut videtur, statuere quod nullus possit absolvere a tali peccato simpliciter, nisi talis superior; inferior tamen possit absolvere (z)

a culpa, nisi sub tali pacto, quod remittat ad superiorem pro absolutione a culpa et a pena; et tunc, si ille qui inferiori confitetur, requirit absolutionem ab illo sibi exponente quod non potest eum absolvere nisi sic quod vadat ad superiorem iterum confessurus, eo ipso sponte se obligat ad iterum confitendum, ex quo sub tali pacto recipit absolutionem. » — Haec ille.

Et addit ulterius (ibid.), magis directe ad argumentum, dicens quod « confessionem non est necesse iterari, nisi in quatuor casibus. Primus, quando, propter manifestum defectum absolvantis, fuit absolutionis nulla; sive quia non poterat absolvere aliquo modo, vel quia non sacerdos, vel quia non proprius; vel quia non potuit in parte, et in parte potuit; et tunc, pro parte qua non est absolutus, tenetur iterum confiteri, quia tenetur totam absolutionem recipere. Unde, quamvis sit liberatus a confessione directe, non tamen indirecte, quia non potest absolvere nisi confiteatur. — Secundus casus est, quando non potuit absolvere propter defectum suum, ut quia excommunicatus majori excommunicatione, vel minori; nisi quod (z) in hoc casu, et in aliis, si confiteretur eidem, non oporteret iterare peccata explicite, sed solum implicite, dicendo: *Peccavi in illis quæ vobis dixi alias*; sicut, si nulla fuisset absolutionis de facto, et dilata (z), post multos dies impetriri potest, etiam si iste oblitus fuerit, dum tamen prius pœnitentiam innotuerit, quia, si non taxasset pœnitentiam, tunc oporteret sibi ad memoriam reducere, ut moderaretur juste. Propter quod, remittens ad Episcopum, si non absolvat, debet pœnitentiam innotescere; quam post redditum injungit, dicens: *Facias quod tibi dixi*; quia ligare non debet antequam solvere. Ita et in proposito. — Tertius casus est, quando aliquod mortale scienter per hypocrisim (z) celavit. Tunc enim oportet iterum confiteri; nisi forte eidem confiteretur, quia tunc sufficit illud celatum dicere explicite, et alia repetere implicite (z), sicut in primis casibus; nisi quod primus videtur dubitabilior alii: quia confessio coram non suo judice facta, non tenet; unde, cum ille esset non suis judex in primo casu, saltem in hoc, ideo confessio nulla; nec per consequens ex illa potest procedi ab illo postea facto judice. Et dicendum quod, si aliquis confiteatur coram suo judice esse verum illud quod coram non suo judice confessus fuit, de quo constat, ex ista nova confessione condemnari potest, ac si de novo explicite confessus esset. Et sic est hic. — Quartus casus est, quando dedit pœnitentiam oblivioni. Tunc enim tenetur pœnitentiam sibi impositam complere; et

(z) vel. — scilicet Pr.

(z) quod. — quia Pr.

(z) similiter. — simul Pr.

(z) scilicet. — Ad. Pr.

(z) a verbis a tali usque ad absolvere, om. Pr.

(z) quod. — quia Pr.

(z) et dilata. — dilatata Pr.

(z) per hypocrisim. — pro hypocrisi Pr.

(z) et alia repetere implicite. — alia tenetur dicere Pr.

non potest nisi sciat eam; et ideo tenetur confiteri, ut sciat sibi imponendam, et sic impletat loco illius: quia, sicut votum quod impleri non potest, debet mutari in votum possibile, sic et pœnitentia impossibilis debet mutari in possibilem; quod non potest fieri juste et æqualiter, nisi peccata dicantur. Multis tamen videtur quod non tenetur confiteri peccata; quia forte dedit omnia vel partem oblivioni, sicut et pœnitentiam. Nec tenetur ad aliquam pœnitentiam, nisi ad sibi impositam; a qua propter impossibilitatem ex ignorantia excusatur, vel liberatur. Unde, cum homo non teneatur ad confitendum nisi peccata non confessa, oblivionem et negligentiam habet confiteri de necessitate salutis, et nihil aliud. Sed verum est quod, si vult in hæc vita sacramentalem pœnitentiam facere pro primis peccatis, debet ea confiteri, ut eam accipiat; si vero ex se, hic vel alibi, facere vult, non tenetur. » — Hæc ille, et bene.

Ex omnibus prædictis appareat mihi quod securior modus est quod, in casu ubi inferior non potest de omnibus absolvere, nec superior vult omnia audire vel ab omnibus absolvere, tunc inferior primo audiat omnia peccata; secundo, sine absolutione remittat eum ad superiorem, ut dicat et confiteatur ei casum retentum; et tertio, superior, auditio illo casu, remittat eum ad inferiorem, absolvendum unica absolutione ab omnibus peccatis, sicut omnia eidem confessus fuit. Et sic omnia inconvenientia prædicta cessarent.

Ad argumentum contra quæstionem (z) patet responsio per prædicta (6).

Et hæc de quæstione dicta sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XIX.

QUÆSTIO I.

UTRUM QUILIBET SACERDOS POSSIT UTI CLAVE
QUAM HABET, IN QUEMLIBET HOMINEM

SIRCA decima nonam distinctionem quæritur: Utrum quilibet sacerdos possit uti clave quam habet, in quemlibet hominem.

Et arguitur quod sic. Quia potestas clavium in

(z) quæstionem. — conclusionem Pr.

(6) Vide, in secunda conclusione, responsionem quam dat huic argumento S. Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 47, q. 3, art. 4, q^{ta} 2, ad 4tm.

sacerdotes descendit ex illa Domini auctoritate, qua dixit (Joan. 20, v. 22 et 23): *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sed illud indeterminate dixit de omnibus. Ergo habens clavem potest ea uti indifferenter in quemlibet.

In oppositum arguitur. Quia, in *Decretis*, caus. (z) 16, q. 1 (dict. Grat. ad can. 49), dicitur: *Nulli sacerdotum licet parochianum alterius absolvere aut ligare.* Ergo non quilibet potest quemlibet absolvere. Ergo, etc.

In hac quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: *Quod in Ecclesia sunt et debuerunt esse claves.*

Hanc probat sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 18, q. 1, art. 1. Nam, in solutione primæ quæstiuncule, sic dicit: « In corporalibus dicitur clavis instrumentum quo ostium aperitur. Regni autem cœlestis ostium nobis per peccatum clauditur, et quantum ad maculam, et quantum ad reatum pœnæ. Et ideo potestas, qua tale obstaculum removetur, dicitur clavis. Hæc autem potestas est quidem in Deo et Trinitate per auctoritatem; et ideo dicitur a quibusdam, quod habet clavem auctoritatis. Sed in homine Christo fuit hæc potestas ad removendum hoc obstaculum peccati, merito passionis, quæ etiam dicitur iannam aperire; et ideo dicitur, secundum quosdam, habere clavem excellentiae. Sed quia ex latere Christi dormientis in cruce sacramenta fluxerunt, quibus Ecclesia fabricatur, ideo in sacramentis Ecclesia efficacia passionis manet. Et, propter hoc, in ministris Ecclesiæ, qui sunt dispensatores sacramentorum, est potestas aliqua ad prædictum obstaculum removendum, non propria virtute, sed virtute divina et passionis Christi. Et hæc potestas metaphorice clavis dicitur Ecclesiæ, quæ est clavis ministerii. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio: Quicumque habet potestatem removendi obstaculum claudens ostium regni cœlorum, habet clavem metaphorice dictam. Sed ministri Ecclesiæ sacerdotes habent hujusmodi potestatem. Ergo habent clavem. — Confirmatur per illud quod dicitur Petro, Matth. 16 (v. 19): *Tibi dabo claves regni cœlorum.*

(z) caus. — Om. Pr.